



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

418. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

368 REGINONIS LIB. II.
quàm cives unusquisque suum pauperem nutriat. quo fiat ut ipsi pauperes per alias civitates non vagentur.

De eadem re. *Ex Capitularium*
lib. I. cap. CXVIII.

Lib. I. Capitular. c. 124.

CCCCXVIII. De mendicis qui per patrias discurrunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint qui laborare manibus possunt & non faciunt, nullus eis quicquam tribuere præsumat.

De eo qui bannum Episcopi vel Presbyteri parvipendit. *Vnde supra.*

CCCCXIX. Quisquis bannum vel excommunicationem Episcopi vel Presbyteri sui superbiendo parvipenderit, hic talis ab Ecclesia penitus evellatur. Ait enim Dominus ad Moysen: *Anima qua superbiendo mandatum Domini transgressa fuerit, peribit de populo suo.* Hinc Dominus in evangelio: *Qui vos spernit, me spernit.* Et Moyses contumacibus dicit: *Non contra me est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et Dathan & Abiron vivi absorpti sunt, quia insurrexerunt adversus eundem Moysen, & ejus mandatum spreverunt. Et ideo tale scelus gravissimè vindicandum est.

Num. 15.

Luc. 10.

Exod. 16.

§ † §

De